



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118278

§. 39. Benedictus liberatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

Sæcul. XV.
A. C. 1402.

§. XXXVIII.

Bajazetus moritur.

In Oriente Bajazet Constantinopolim, quam assidue interclusam tenebat, relinquere debuit, ut iret in Tamerlanum *Bibl. Orient.* Mogolum Imperatorem, ac fere totius *p. 175. 877.* Asiæ Dominum. Is a quodam Ginguiscani cognato, qui sedem in Usbechia posuerat, ducebat genus, & Samarchandæ primaria illius regionis urbe primam lucem aspexerat. Genuinum ei nomen erat Timur, cognomen Lenc seu Claudus in sermone Persico. Anno Epochæ Arabicæ 771, Christi 1370 regnare coepit, ac pergebat triginta sex annis, quorum intra spatium Corasania, India, Persia, Syria potitus ad Anatoliam usque processit. Cum ibi Sebasten Turcis ademisset; & Bajazet illum a progressu arcendi caula veniret, duo exercitus sibi Ancyrae occurrebant: ubi commisso prælio magno Bajazet victus, captusque paulo post decessit anno Epochæ Arabicæ 805, Christi 1402, sui regiminis 14.

Procos.
suppl. p. 45.

§. XXXIX.

Benedictus liberatur.

Sup. §. 25. **A**mplius quadriennio Benedictus Avenionensi palatio suo inclusus hærebat.

bat, inde nisi post redditam Ecclesiæ pa-
 cem non exiturus: quod ne faceret, tam
 arcta septus custodia tenebatur, ut esset
 captivo similis. Hunc statum perosus
 cum Robineto Braquemontio Nobili Nor-
 manno de modo clam abeundi consilia
 contulit. Itaque sibi providit de præsi-
 dio quingentorum hominum, qui extra
 urbem ipsum expectarent: & quia Robi-
 netus eum vesperi sæpe adibat; voluit il-
 le cum isto hac hora egredi personatus,
 quasi esset aliquis de comitatu ejus. Id
 factum 12 Martii an. 1403: sed adhuc
 numerabatur annus 1402, cum Pascha in
 15 Aprilis incideret.

Sæcul. XV.
 A. C. 1402.
 J. Juven.
 p. 152.
 Labour. p.
 461. Ms. f.

Benedictus secum portabat in bella
 capsula divinam Hostiam: ut solebant
 Summi Præsules in suis itineribus. Fe-
 rebat etiam Regis epistolam, per quam is
 negabat probasse se unquam recusatio-
 nem obedientiæ. Relicto palatio petiit
 quandam urbis domum: ubi præsentem
 Galli Nobiles ei per oscula pedum præsta-
 bant reverentiam Papæ debitam. Jussit
 tonderi sibi barbam admodum sane pro-
 missam: nutrierat enim pilos, quamdiu
 inclusus erat. Egressus Avenione acces-
 sit ad suum præsidium; quod eum dedu-
 cebat ad vicinum oppidum nomine Ca-
 strum Vulpium: quo advenit sub horam
 nonam matutinam: ac eodem die per lit-

Nn 3 teras

Sæcul. XV.
A.C. 1403.

J. Juven.
p. 153.
Labour.
p. 466.

teras Regi rem indicavit, se porro ad Ecclesie concordiam propensum asserens.

Ut primum recepit libertatem, qui eum deseruerant, Cardinales, cum Hispanos ei adhærere, Gallos in eum varie affectos cernerent, reconciliare sibi ejusdem gratiam studebant. Idem agebant cives Avenionis. Benedictus hos & illos voti compotes fecit; eam vero conditionem imposuit Avenionensibus, ut palatii muros inter obsidionem vitiatos reficerent. Cardinales 29 Aprilis ad se sic volentem reversos, flexisque genibus precatos veniam ad prandium adhibuit.

Postea misit ad Regem duos Cardinales, Pictaviensem, & Salutianum. Cum Carolus eis 25 Maji in palatio ad templum S. Pauli sito sui copiam fecisset, Pictaviensis rem proposuit, oravitque, ut Benedicto rursus præstari obedientiam juberet. Remotis Cardinalibus Rex tunc suæ mentis compos deliberationem habuit. Cuncti Principes, excepto Duce Aureliæ, censebant perstandum in sententia. Sed multi opponebant: Sola Francia hoc suscepit consilium. Ex regionibus addictis antipapæ (Bonifacium intelligebant) nulla obedientiam abiecit: reliquus orbis Christianus Benedicto mansit obnoxius: Gallorum Regi daretur vitio, si solus aliter sentiret. Haud memini, ajebat Carolus, me consensisse unquam

quam in recusationem obedientiæ: ac Sæcul. XV.
demum hujus restitutio decreta fuit. A. C. 1403.

§. XL.

*Benedicto parere denuo jubetur
Francia.*

Rex Parisios in Idus Majas anno 1403
Concilium convocaverat, consultaturum, quid ad renovandam Ecclesiæ concordiam expediret. Jamque venerant magno numero Præsules, & alia Cleri membra: cum Carolus 28 ejusdem mensis hora tertia vespertina obedientiam iterum Benedicto præstari jussit urgente fratre suo Duce Aureliæ in absentia Præsulum, sed coram Cardinalibus Pictaviensi, ac Salutiano, & quibusdam de Clero Viris horum fautoribus. Post biduum Præsules, cæterique Clerici Lutetiæ versantes accersebantur ad Biturigum Ducem in palatium Turricularum prope portam S. Antonii situm: & ibi coram illo, ac ejus fratre Duce Burgundiæ Cancellarius Galliæ denunciabat Regem obedientiam Benedicto rursus præstitam velle; Ducemque Aureliæ confidere de obtinendis a Benedicto litteris Apostolicis super quibusdam modis reconciliandæ concordie. Hos scripto mandatos Cancellarius tenebat manu, petebatque Præsulum de iis sententiam. Nonnulli ajebant se Regis

*Libert.
p. 463.*

Nn 4

impe-